

L IIII.

3. **Subiectum** quoq; dictas tres species evidenti discrimine sejungit. Honesta namq; non nisi inter viros probos de virtute praeditos locum habet. Iucunda verò & utilis promiscuè inter quos vis coire potest. g. Eth. Nic. c. 3. & 4.

L V.

Quanquam juuenes ut plurimum jucundam; senes verò utilem maximè conseruent Amicitiam. 8. Eth. Nic. c. 3.

L VI.

Illi namq; quia affectibus plerumq; indulgent, ut plurimum etiam jucundum anterunt utili. Hi verò, quia ætas homines, Comico, ipsaq; experientia teste, ad rem plerumq; facit attentiores; ideo utile potius appetunt & prosequuntur quam jucundum.

L VII.

4. Deniq; honesta Amicitia non æquè criminatio-nibus est obnoxia, quemadmodum jucunda & utilis. 8. Eth. Nic. c. 4.

L VIII.

Quia enim Amici honesti satis longo tempore mu-tuò se exploraverunt, & virtutem fidemq; sibi invicem probarunt; ideo clandestinis aliorum delationibus & calumnijs non inveniunt nec ullam fidem illis adhibent.

L IX.

In jucunda verò pariterq; utili Amicitia ut suspicio-num æstus dominantur; ita delationes quoq; inculationes & criminationes aliorum attenduntur.

B 2

Sed

3.
Subie-
ctum a-
micitiae
honestæ.
Subiectū
Amicitię
tùm ius-
cundæ
tum utis-
lis.

Cur iu-
venes ple-
rumq;
iucundā
colant A-
micitiā
& senes
utilem.

4.